



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

§. 8. De Jacob evigilante visa hac scala. Quo Virgini commendatur Zelus animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

„poris flores, universamque domum odoris fragrantia replet! expellat hæc phantasmatum & cogitationum libidinosarum foetores: & ne intrent, fenestras oculorum occludite: quos malè custoditos morituræ Virginitatis principia scripsit D. Hieronymus: disparem fugite sexum: quæ detrahi non vult fugiat detrahentes: ab hisce ascendat quæ descendere non vult: *aliàs rectius fuerat homini* (addit D. Hieronymus) *subiisse Conjugium, ambulasse per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.* *Epist. 22.*

## §. VIII.

*De Jacob evigilante visâ hac Scalâ.*

**T**Ria hîc nobis consideranda oggeruntur: Primò quid delineet Jacob dormiens: Secundò quid evigilans: Tertiò quòd visâ Scalâ expurgatur: ad intellectum tertii duo priora viam pandunt: est enim ex sensu Sacræ Scripturæ inter alias, quas ei tribuit, Somni significatio eadem cum negligentia & tepiditate in obsequio divino ac animæ curâ, quo sensu loquitur Apostolus ad Romanos eos à torpore ad curam salutis exstimulans: *Hora est jam nos de somno surgere.* Et I Cor. II. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi:* ex eo scilicet defectu, quod ad sacram Synaxin sine debita præparatione accederent. Quomodo de hoc somno etiam loquitur Augustinus: „Cavere debemus, ne anima nostra dormiat, malus est enim somnus animæ: bonus est somnus corporis quo reparatur valetudo corporis: somnus autem animæ est oblivisci Deum suum, quæcunque anima fuerit

oblita Deum suum, dormit. Quid autem Vigilæ dicant, patet è sensu contrario, studiosum nempe Dei obsequium & sollicitam salutis curam, juxta ipsiusmet Christi etymologiam in Evangeliiis frequentem, ubi ad hæc nos exstimulat, Matth. 24. & 25. c. Marc. 15. Luc. 12. & 21. Adumbrat itaque Jacob dormiens homines suæ salutis incurios, & idem evigilans eos ejusdem studiosos: sed quòd visâ Scalâ visisque Angelis expurgiscatur atque evigilet, quid sibi velit, ipsæmet facillè colligitis: talem nempe debere esse Virginum conversationem & sollicitudinem, ut quos habet suæ curæ commissos, vel consanguineos, vel quibuscum degit, eos studeat ad animæ curam inducere si negligentes sint, & ad pietatis cultum provocare si tepidi existant.

Ut hanc vestram vobis probem obligationem non multa coacervabo argumenta, cùm unicum hoc sufficiat deductum ex Angelorum officio, quibus vobis delineari hæc ostendimus: quod autem illud non ego, sed dicat illud S. Paulus: id namque habet ad Hebræos c. 1. vers. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos quibus hæreditatem capient salutis?* Ecce hoc Angelorum munus, hoc eorum officium est, homines sibi concreditos incitare ad Dei obsequium, salutis desiderium, pietatis cultum, ut in Festo Angeli Custodit vobis sæpiùs declaratum: idem debet esse & vestrum: & ut illi eum in finem è Cælo missi sunt in terram, ita & vos præter alias ea etiam de causa tanquam cooperatrices in eorum numerum ascriptas agnoscite, & administratorias præbete. Eadem quæ illos, vos etiam, si attendatis, ratio agit: quæ enim illa? non

ne ut Deus quem sincerissimè amant noveruntque dignissimum quem ament omnes, nonne inquam ut multos is habeat famulos & amicos? & ut eos, quàm jam fruuntur, socios habeant in cœlesti gloria? Nonne & in vobis eadem ratio militat? amatis verè Deum? multos ei amicos & ministros procuret vestra sollicitudo, angusta nimium est charitas, quæ sibi tantùm invigilat: lenti ignes dicamne frigidi, quorum ardor extra non sentitur. Hujus solummodo amor socios patitur, quos odit mundanus, qui quod impenditur alteri sibi putat subtrahi: unde in Canticis dicebat illa: *Trabe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Talis D. Paulus, Virginum Patronus & Pædagogus præcipuus, qui, licèt in castitate & virtutibus aliis vellet omnes sibi similes, qui & propterea plus omnibus se laborasse gloriatur, ignis namque combustibile consumit quodcunque potest contingere, plùs tamen audet, ut Jesus eos omnes famulos haberet, optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis. Talis S. Catharina Senensis, quæ se Ditis ostiariam vovebat, neminem in eum admissura, ubi Deo nullus confitebitur, sed ad cœlum omnes remissura, ubi jugis Dei laudatio. Talis D. Theresia, quæ si divini cultus propagationi quempiam videret utilem, Sorores suas ad socias preces invitabat, quibus conversionem istius à Deo efflagitarent. Hæc signa seu potiùs effectus sunt ardentis charitatis & veræ dilectionis: quisquis Deum verè amat, ei multos amatores optat, & ut habeat, allaborat: quid namque in Parabola de decem Virginibus lampades aliud sonant, ardentes scilicet & extinctæ? Ardentes, quas quæ habuere sapientes dicuntur & ad nuptias

c. 1. v. 3.

1 Cor. 7: 7

1 Cor. 15: 10.

Rom. 9: 3.

Psf. 6: 6.

Psf. 83: 5.

Matt. 25.



admissæ, nisi quæ habent flammam dilectionis, quæ ipsæ in se ardeant & lucem boni exempli quæ alios illustrent? Exstinctæ, quas quæ habuere dicuntur factuæ, & à nuptiis exclusæ, nisi in quibus exstinctus est fervor dilectionis, & à quibus lux boni exempli nondimananat? lucet quicquid ardet. Eaque de causa vocavit vos Deus, & in suum famulatum attraxit, non intra Claustra monastica, sed in medio Secularium reliquit, ut quemadmodum illæ pro eorum salute orare tenentur, ita vos vestro exemplo atque hortamento ad ejusdem curam illos provocetis, ut *Dormientes Jacob* evigilare faciatis: *Provocentur & aliæ*, scribit D. Hieronymus, *honor Virginum sit invitatio cæterarum: cùm jam ante præmisisset: Sponsa Christi Arca est Testamenti intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos Legis Domini: quam non ipsa solùm custodiat, sed & alios custodire faciat. Astitit Regina à dextera*

15. *tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur*

16. *tibi in lætitia & exultatione, adducentur in Templum Regis. Habetis ibi qualis in se esse debeat Virgo, quod pluribus non prosequor, quia id in præcedentibus abundè factum: habetis etiam qualem se exhibere debeat domesticis & proximis: lucet namque, quicquid ardet: nec quod non arserit, lucere poterit: inde unum ex alio confectarium videtis, quæ caret devotione eam in aliis non provocabit, Irregularis ipsa Regulares non efficiet: dormientem ipsa dormientem non excitabit: ardeat quod lucebit, luceat quod ardet.*

Itaque Filiæ meæ memores hujus doctrine quibuscum agitis Angelos vos præbete, non quales ante

*Epist. ad  
Enstoch.*

*Pf. 44: 10.*

ante è cœlo decidisse dicebam, quique nostris dele-  
 ,, ctantur malis, sed bonos: ,, Scurrilitas atque la-  
 ,, scivia te præsentem non habeant locum: nunquam  
 ,, verbum inhonestum audias, aut si audieris, non  
 ,, inesceris: (Virgini præscribit S. Hieronymus) ri-  
 ,, dere & rideri secularibus derelinque, gravitas tuam  
 ,, personam decet. Audite hæc quæ chorum ducitis  
 & subinde Capitaneæ: Angeli ad solutos mores non  
 excitant, sed ab iis suas absterrent, modestiam, pie-  
 tatem aliasque virtutes inculcant, quibus non dissol-  
 vatur animus, sed Deo arctius astringatur: idem fa-  
 cite & vos: *Virgo* namque ex præscripto Apostoli, <sup>1 Cor. 7:</sup>  
*cogitat quæ Domini sunt*: Lampades vestræ ardeant <sup>38.</sup>  
 & luceant, & vestris præferantur ut ad Sponsum ani-  
 marum omnium perducantur.

*Epist. 8. ad  
Demetr.*

## §. I X.

*De Iacob admirabundo visâ Scalâ.*

**Q**uid *Iacob* visâ Scalâ, visisque Angelis *evigilans*  
 adumbret, §. superiori audivimus: nunc quid  
 idem admirabundus & encomiastes designet confi-  
 derandum: *Non est hîc aliud nisi domus Dei & porta* <sup>Gen. 28:</sup>  
*cœli*. Quid hinc Virgo deducat? eam nempe debere <sup>17.</sup>  
 esse suam conversationem, ut Status Virginalis à se-  
 cularibus non vilipendatur, sed magni fiat & com-  
 ,, mendetur: ,, Bona quippe domus in ipso vestibulo  
 ,, debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil  
 ,, intus latere tenebrarum, & mens nostra multis re-  
 ,, pagulis corporalibus impedita tanquam lucernæ  
 ,, lux intus posita foris luceat, ex præscripto S. Am- <sup>L. 2:</sup>